

1347. 21. DECEMBRIS. ZAGRABIAE.

*Vestigium Generalis Congregationis totius Regni Slavoniae die 21. Decembris
A. 1347 Zagrabiae celebratae.*

Nos Nicolaus tocius Sclauonie et Croacie Banus Memoriae commendantes significamus quibus expedit vniuersis, quod cum feria tertia proxima ante festum Natiuitatis domini, Zagrabiae, vniuersis nobilibus regni Sclauonie generalem celebrassemus congregationem, mox de vniuersorum nobilium, Borkon filius Alexandri consurgendo, nobis querulose significare curauit, et cum homo noster, videlicet Stephanus filius Tyuodori, Castrum Zyryng (Zrin) condam Maladeno Bano et Comiti Gregorio fratri eiusdem, vna cum eiusdem pertinencijs, statuere voluisset, vt nobis dominus rex preceperat faciendum; tandem idem Stephanus homo noster, suam possessionem leznicha vocatam, prope Castrum Zyryng existentem, predictis Mladeno condam Bano et Comiti Gregorio indebite statuisset, quam ipse (sic) sine Jure occupantes delinerent, que ipsa possessio sibi titulo emptionis a Paulo filio Andree deuenisset. Super quo iura Instrumentalia efficacia, litterarumque priuilegia honorabilis Capituli ecclesie Zagrabiensis demonstrauit. In quibus titulum emptionis predictum firmiter vidimus duraturum contineri. Super quo non contentantes, duodecim Juratos et vniuersos nobiles regni Sclauonie dum requisuissimus, vt vtrum possessio predicta leznicha vocata, Pauli filij Andree predicti fuerit, et debito modo ipsam vendere potuerit nec ne? mox ipsi Jurati consurgentes cum vniuersis nobilibus predictis, consona voce retulerunt firmiter iurando, vt sepe notata possessio leznicha vocata, ab auis et proauis ipsius Pauli filij Andree, hereditaria fuisset, et debito modo ad scitum eorum eidem Borkon filio Alexandri venditori tradidisset, vt requirit ordo iuris, quemlibet suam hereditariam vendere posse facultatem. Nos igitur, qui ex officio suscepti regiminis gubernaculis tocius Sclauoniae et Croacie Banatum, per dominum nostrum Regem deputatus, nemini iniuriam, sed potius cuilibet Justiciam facere intendamus: Ideo tot et tanta Jura Instrumentalia et relacionum nobilium predictorum de predicta possessione leznicha vocata, ipsi Borkon pertinere debere reperiendo, Judicantes decreuimus, sepedictam possessionem, sub metis et terminis quibus in predictis litteris Capituli vidimus contineri, et cum vtilitatibus suis vniuersis, vt in ipso priuilegio continetur, eidem Borkon filio Alexandri, et per eum suis heredibus heredumque successoribus, duximus Jure perpetuo possidendam, restituendam et resignandam irreuocabiliter, tenendam pariter et habendam. In cuius rei memoriam firmitatemque propetuum, presentes litteras nostras patentes cum maiori Sigillo nostro consignatas, eidem duximus concedendas. Datum Zagrabie in festo beati Thome apostoli Anno Domini M^o CCC^o XL^o septimo.